1650
34-6-C-13-
12
133

PRO SOLEMNI

PHILOSOPHIAE MORALIS

AVSPICIO

In noua Vniuerſitate GRIMALDA explicandæ

P. D. STEPHANI SPINVLÆ CONGREG. SOMASCHÆ
Publici Profeſſoris

PRÆLECTIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GENVÆ;

Ex Typographia Petri Ioannis Calenzani,

Superiorum Permiſſu. 1650.

ILLVSTRISSIMIS

ANSALDI GRIMALDI

NEPOTIBVS

D. STEPHANVS SPINVLA FELICITATEM.

VESTRVM ſinum ambit Prælectio hæc mea Nobiliſſimi Viri. Primitiæ fructuum veſtri ſoli quidni Dominis ſuis deuotæ? Sanè, cum Magno ANSALDO iam è viuis elato vota appendere non liceat, cui æquiori iurè haſce ſacrabimus tabellas, gratitudinis monumenta, quam eius Imaginibus, Imaginibus viuentibus.

PRÆLECTIO.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam. Hor.

ADderem ego, Excellentiſsimi, & Illuſtriſsimi PP. Auditores Ornatiſsimi: Nec omne ſolum Heroes parit. Excelſiſsimum enimuerò opus, Heros, cùm Naturæ ſimul, & virtutis conatus omnes abſoluat; requirit oppidò multa, quę non vbiq; terrarum facilè reperias. Sudat huius in ortu natura vniuerſa: Aſtrorũ ordo inuertitur longiùs protracta nocte: Fulgurat Cœlum, ignitiſque illis ſplendoribus auroram præſeferentib' orituro Soli proludit; & tellus veluti conſcia, quale ſit exceptura pondus, tremit. Nimirum magno ſemper conſtitit heroem dare. Hic eſt vera phœnix, quam vix ſæculi labor concipit, quęque, dum moritur, ex tumulo ſuo rediuiua, pennis famæ vecta euolat glorioſior, Orbemque implet vniuerſum. Sed non omnis regio, Arabia. Aeris temperies, generoſiores ſyderum influxus, ſoli felicitas, magnis hiſce animabus obſtetricantur: Quas in lucem vix editas gremio excipit virtus, vt illuſtribus auorum, & conciuium exemplis, vel ipſo cum lacte hauſtis, ſolerti moderatorum prudentia, quæque vim promouet inſitam, doctrina, feliciter adoleſcant. Sic heroi impar natura, cum virtus exigitur, ſic heros ſupra naturam eſt. O felices terrarum tractus, vbi hiſce flores ver adornant; Feliciſsimum ſolum hiſce ſyderibus colluſtrere, & Cœlo non inuideas; ſint ſemper hęc aſtra occaſus neſcia; Nulla vmbra hanc lucem occulat, & benè olentes hos flo-

conſcenderam;ſed hac vel ſupra votũ floreſcente,ridiculus acce-
derem, ſi, quod etiamnũ ſedulò geritur, ſuadere gerendũ aggrẽ-
derer.Succedat igitur, ſuccedat declamationi panegiris , & ſeue-
rioris philoſophi perſona depoſita , gratulabundi munus obea-
tur panegiriſtæ.Veſtris perſonet hęc aula præconijs,Parentes op-
timi , quorum beneficium eſt , filios eſſe, & probos eſſe ; quique
ita ſatagitis , vt qualeſcumque vobis naſcantur liberi , non con-
tingant Reipublicę Ciues , niſi optimi . Aquilas vos eſſe quis in-
ficiabitur , dum pullos vix ortos , oculiſque vix diei lucem feren-
tibus , Sapientiæ Soli exponitis , & , an veſtri ſint , virtute proba-
tis . Vtinam non degeneres vobis adoleſcant liberi ; ex nunc .n.
æternam ſpondeo huic Imperio incolumitatem . Publicæ enim
ſalutis ſemina in adoleſcentibus iacta ſunt ; & ideò , vt ijs quàm
maximè caueretur , optimis adhibitis animorum cultoribus , ſa-
pientiſsimi quique legiſlatores præſcripſere ; opus profectò vti
difficillimum , ita liberis pręcipuè Vrbibus vtiliſsimum . Quin
adeò glorioſum, vt moderatores imbuendę bonis artibus iuuen-
tuti vel maximo cum impendio accerſere , ſoli Reges , celſioreſ-
que Orbis Principes ſibi vindicauerint , Traianus , Bardas , Ale-
xius Comnenus , & Theodoſius Græci , Carolus Magnus, & Ca-
rolus Quartus Romani Imperatores , Aluredus Anglorum Rex ,
Magnique Duces Auſtriæ , Saxonię , & Etrurię , alijque non in-
ferioris notæ Reguli , Academias erexere , celebrioreſque Orbis
Doctores ingentibus allectos ſtipendijs , oracula viua hiſce Sa-
pientiæ delubris prępoſuere. Nimirum plerumque litteris fauent,
qui digna litteris gerunt ; & , quemadmodum ſapientia nihil ex-
celſius , ita nihil dignius , quàm fouere ſapientes .

Sed quid Reges tantùm publica ſcientijs ſacraſſe templa ,
mixtaſque hiſce Deabus præfeciſſe , incauta aſſeruiſti lingua ?
Ergo ne Anſaldum Grimaldum ingrata præteris , vel cuius be-
neficio , vt cętera omittam , loqueris ? Ne linguam ingrati ſilen-
tij inſimules generoſiſsime heroum Anſalde ; te enim præterijſſe
haud ſum arbitratus , dum Regum memini . Quidni enim inter
Reges connumerere , cui ſi regales tituli , regalis non defuit ani-
mus . Siquidem virtus veros Reges facit , non fortuna , quoſque
illa regali non locat in ſolio , coronati hiſtriones in hoc orbis
theatro fabulam ludunt. Anſaldum Grimaldum Honoris augu-

ſtiſsimo

ſtiſsimo in templo virtutes omnes inaugurauerunt Regem, diademate non ex auro, & gemmis, ſed ſe ipſis contexto. Quę enim in hoc Heroe virtus non illuxit? Deficeret tot virtutibus recenſendis dies, nec virtutum numerum diei inſtantia adęquarent; Hęc enim licèt innumerabilia, illæ infinitæ; &, ſi fortaſſe non infinitę, virtutes ipſi, non ipſe defuit virtutibus. In tam lato tamen, florentique virtutum campo vnam ſeligam planè Regiam Magnificentiam. Et tu nobiliſsime heroum ignoſces, ſi ſecernet oratio, quę in te collectę emicuere virtutes; Nec enim tot ornari debebas, ſi omnes ſimul erant commendandę: nec talibus, vt cuiuslibet promeritis encomijs vix integer ſufficeret dies.

Magnificentia inter virtutes lilium eſt inter flores. Nulli florum proceritas maior, nulli virtutum excelſitas ſublimior; & quemadmodum lilia nonniſi feliciſsimo in ſolo germinant, magnificentia nonniſi generoſas, & prędiuites incolit animas. Pauperes enim, & mediocris notæ viri magnificentię impares. Hoc vno lilijs abſimilis, quòd vbi illa vertice ad terrā demiſſo ſeſe humilioribus inclinant arbuſtis; hęc ne dum infima, ſed & media quæque indignata ſeſe ad ſublimia attollit; ſacras ædes, vel inſtaurat, vel erigit; Publico munimini conſulit; Populorum commodis proſpicit; &, ſi priuata dignatur contueri, adeò felicibus colluſtrat radijs, vt planè inauret. Mida non fictus operi manum admouet, & aureum reddit. Vtinam viueret Anſaldus Grimaldus; Magnificentiam .n. quam leui tractu, & aliunde emendicatis coloribus vix adumbro, viſibilem in tanto heroe indigitarem. Nihil enim non molitus vir egregius, quod magnificentiam deceat; &, ſi plura non peregit, non quòd ipſe, ſed quòd virtus plura nequiuerit, cauſæ fuit. Magnificam viri pietatem prædicant, vel ſine voce loquacia, quotquot adſunt Genuæ templa ampliſsimis donarijs locupletata: Hic erecta altaria, illic collabentia refecta męnia: Hic annua ſacra, illic religioſis odæis hymnodia inſtituta: In vrbe ſacra ædes Diui Lucæ duodecim ditata capellanijs, extra mœnia D. Nicolao inſcripta Eccleſia ex fundamentis erecta, prædiuiti Abbatia inſignita, & Benedictinæ familię commendata; &, ne ſecum interiret magnificentia, annuis redditibus templis collapſuris prouiſum. Sic Genuenſes Eccleſiæ verſę in Capitolia, in quibus Anſaldi Grimaldi

magnifica pietas triumphat. Nec minor domi virtus. Opulentis geminatis fideicommiſsis; ſuperbis palatijs, tum in Vrbe, tum in ſuburbijs, regijs non facilè conceſſuris; quorum in vno generoſus nepos haud multis ab hinc annis clariſsimos Italiæ Principes duos ſimul excepit hoſpitio; Dotibus peramplis nupturis puellis attributis; ſuppellectile pretioſa; demum D. Georgij æde ita auro ſata, vt copioſiſſimam quotannis auream meſſem colligāt poſteri, nonne domeſticæ magnificentię, non duabus, ſed multiplicibus columnis non plus vltra indixit?

Siluester Grimaldus.

Verùm auguſtiſsima fuerit vbique noſtri herois magnificētia, ſe ipſa maior viſa eſt, dum Rempublicam proſpexit. Hæc, quæ ſecū omnes eius abſtulerat amores, immenſas quoque opes abſorpſit. Inuidit ætas illa pacifica militarem Anſaldo gloriam; ſed ſi non ſanguinem, quod vnicè ei fuiſſet in votis, immolauit patriæ theſauros holocauſto quinquaginta quinque millių locorū perenniter duraturo. Quidni igitur te Patrem Patrię, cum illuſtribus appellemus hiſtoricis, Heros eximie, dum patriam vti filiam complexus regia planè donaſti hęreditatę? Quidni iure veritas de te prædicet, quod de Romano illo Imperatore aſſentatio, beneficio Numinis, cui cura de nobis, tibi liberos non contigiſſe, vt patriam in filiam adoptares? Quantum debes Anſaldo Genuenſis Reſpublica! Si multorum vectigalium onere non premeris; ſi tot pauperes alis, vt iam communis pauperum mater audias; ſi noſocomia, vel inſtauras, vel erigis; ſi domina Liguſtici maris inſtructiſsimis vecta triremibus, Neptuno imperas, prædones coerces, barbaros terres, Anſaldi beneficium eſt. O diuitias iam non ampliùs fortunæ, ſed virtutis bona, cùm adeò glorioſè virtuti inſeruierint! O heroem, quo non magnificentior alter, aureis gradibus ad Immortalitatis, & Honoris fanum euectum! Nulla tui obliuiſcetur ætas; viues gloriæ, quò aduſque viuet Genua, nec occides, niſi illa occidente. Quin niſi Italiam vniuerſam Hiſpanamq; Auſtriacam potentiam inuoluat obliuio, memoriæ in templo thura adolebit nomini tuo admirabunda poſteritas. Nec enim Auſtriaci Reges vllius mortalium occurrent animo, quin identidem occurrant Italicæ Prouinciæ, quas auitis auxit Regnis Carolus V. inuictiſsimus Imperator virtute quidem ſelectiſsimi exercitus, ſed opibus Anſaldi

Grimaldi. Aſtitit hic Cæſari, non ferro, ſed auro; ſanguinis flumina non effudit, ſed aureum mare; Ducentis aureorum millibus nutanti Inſubrię, & iam iam Gallicæ fortunæ ceſſurę (vt ipſe gratiſsimus Imperator datis ad Auguſtam Coniugem litteris teſtatus eſt) præſto fuit.

Sed ſurſum, deorſumque voluatur Orbis, excidant prouinciæ, corruant Regna, vna non intereat Sapientia, ſatis, ſuperque cautum erit Anſaldi immortalitati. Enimuerò vbicumque terrarum colitur hoc numen, Mœcenatum memoriæ quàm ſollicitè conſulit: eorum ſimulacra, veluti heroum imagines ſuis locat in templis: & nomina caracteribus gloriæ deſcripta omnium obijcit oculis, gratitudinis monumentum. Tu præ cæteris coruſcantibus legereris vbique notis, Anſalde Grimalde, cuius beneficio Liguſticum accitur ad Imperium Sapientia, & quatuor aris impoſita (gymnaſia loquor communi erecta vtilitati) publicis populorum accurſibus adorabitur. Adorabitur ſanè, ſed tibi quoque aliqua thuris portio continget; nec ita vnicè occupabit illa delubrum, quin te huiuſce Palladis Iouem lateri comitem veneremur. Ex te enim huic ſolo progenita, ſi otio bellum indicet, tuis ſumptibus bellum geret; ſi triumphabit, tibi acceptas referet victorias; ſi virtutis lacte iuuentutem enutriet, magnificentię tuę debebit vbera; &, ſi huic vrbi tot alet heroes, quot filios, audiet illa Genuenſium heroum mater, ſed quia ex te fęcunda, te patrem pręedicabit. O igitur ſapientiſsimè emptam ab Anſaldo immortalitatem, In quibuſcumque inerit virtus, tamquam patrem in filijs viuere. O inuidendam felicitatem, ita ſibi deuinxiſſe ſapientiam, vt vnum, idemque fatum vtrumque maneat; Glorioſiſsimum fatum, niſi pereat virtus, non poſſe mori. Sed viuet, viuet nullis vnquam interitura ſęculis ſapientia, tuque cum illa viues, Anſalde; Genuę potiſsimum floreſcet, vbi magnificis adeò expenſis illã excipis: vbi ingenia naſcuntur, qualia ſibi ipſa fingeret: & vbi pacem ſcientijs pe.amicam, quæ hac tempeſtate vndequaque armato Martis impetu pellitur, æternam fixiſſe ſedẽ reperiet.

Et oh quàm fauſtè in hæc incidit tempora ſapientię in Vrbem aduentus, Auditores, dum Regnante Sereniſsimo Iacobo de Franchis, quatuor incidit in Coronas; vnam Regij capitis hone-

ſtamen-

ſtamentum, reliquas coronatæ nobilitatis inſignia. Planè, vt quatuor ſcientijs diademate donandis vnicus Princeps ſufficeret. Et ſanè par erat ab eo Principe ſcientias coronari, cuius animum iam pridem certatim omnes coronauerant. Oh quàm feliciter ſub ſapientiſsimo Duce prodit in theatrum ſapientia, quæ ipſe docet factis, verbis expreſſura. Non illi à longè inquirenda exempla virtutum, cùm omnium clariſsimum exemplar Liguſtico fulgeſcat in ſolio. Sed quid? Principis ne dotes delibo, an veſtras, Excellentiſsimi Domini, quorum auſpicijs tandem aliquando excelſiſsimis facultatibus Iuriſprudentię, Medicinæ, Matheſi, & morali Philoſophiæ panduntur lycæa? Veſtræ ſunt, & ſuæ; & eſt, quòd vobis gratuler, Ciues, penes eos Reipublicæ regimen eſſe, quos cum cœtera, tum virtus æquat; & neminem ita vnicè commendari poſſe cogit, quin eadem laus pluribus tributa videatur. Et vos quoque huius laudis in partē adſciſco, Anſaldi Grimaldi nobiliſsimi nepotes, Vos qui huiuſmodi ſcientias ea benignitate fouiſtis, quam ſuggerit indoles generoſa; Vos, quorum animæ veriùs, quàm facies magni Patrui effigiem exprimunt; quoſque ſi natura Anſaldi fortunarum, diſciplina virtutum hæredes inſtituit. Magnificentię cum primis, cuius ſpecimen glorioſum paucis ab hinc menſibus orbi exhibuiſtis, dum Liguſticorum montium accolis imminente iam morte obſeſsis, & fame ad deditionem coactis, aureis ſuppetijs prę ſto fuiſtis adeò, vt populorum vita veſtrum beneficium ſit. Planè, vt iam omnes agnoſcāt, quòd, ſi magni Anſaldi liberalitas in nepotibus non refloreſcit, temporum calamitati, non degeneri poſteritati imputandum.

Et quidem iure merito omnium laudes promeremini, Sereniſsimi Patres, quòd tam prouido conſilio memoratis artibus cœteris quibuſcumque pręhabitis Reipublicæ incolumitati abūdè proſpexeritis. Ciuitatum enim quàm tutiſsima munimina illæ ſunt; & felix vrbs, cui à virtute munimen. Nititur Iuriſprudentia cuiuſque Imperij vita; leges enim vrbium anima, quas ſi tollas, humana perit ſocietas, nec Princeps imperat, nec ſubditus paret, & vndique impunè graſſantibus vitijs, fit domicilium hominum conuentus belluarum. Præcingere vrbes mœnibus, firmare propugnaculis, maris perfidiæ nautas, belli aleæ

milites

milites inſtruere, Mathematicæ eſt gloria; Internis corporis hoſtibus morbis, & ægritudinibus bellum indicere, Medicinæ.

Sed tu oh quàm miro cõpendio omnium in te artium colligis prærogatiuas, reliquis Imperio vtilior, moralis Philoſophia. Non illa tu, quæ inter iurgia adulta rixari docet adoleſcentes; qui demum ſe magnum aliquid opinantur aſſecutos, cum magis veritati obſiſtere didicere; ſed quæ contentionum hoſtis acerrima ſuauiſsimis amicitiæ nexibus ciues concilias, & internos cuiuſque animi motus tumultuantes cohibes. Temperantiæ præceptis pharmaca ſaluberrima, quibus nec meliora nouit Eſculapius, propinas; & fortitudine ita ciues obarmas; vt glorioſum pro Patria mori ducentes, ſeſe mille telis impauidi obijciant; & periclitanti Patriæ ſe ipſis viua mœnia compingere non vereantur. Tu viam ſternis heroibus, quos à voluptatibus abſtractos gloriæ calcaribus ad immortalitatem promoues; Tuis artibus Iuſtitia triumphat in Principe, Obedientia floret in ſubditis; probus vir, probus ciuis, probus Princeps, tuũ beneficiũ eſt. Fauſtè igitur adueneris artium celſiſsima, quidquid vtilitatis eſt, Reipublicæ allatura; ſperamus enim vt, quod olim in votis fuit Platoni, huic Imperio contingat, Philoſophos ſcilicet regnare, & Reges philoſophari; dum huius tam excelſæ Philoſophiæ præceptis imbuetur iuuentus, quæ Liguſticum ad Imperium adoleſcit.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE